



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De morte Gerundi Conuersi, quem homines nigri, & vulturus, morientem
obseruabant, cap. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

In effigie nota ingrediens, cū duobus æquè defunctis,
ait: Frater Rudingere quid agis, aut quomodo habes?
Respondit ille sicut homo pauper & infirmus: Corpus
per tumorem distreditur, & quod me plus angit, mul-
torum criminum mole conscientia grauatur. Quem
sanctus consolans dixit: Diu quidem malè vixisti, sed
hodie scias te moriturum; ego Dominam nostrā san-
ctam Dei genitricem & reliquos sanctos pro te roga-
ui, & duros eos inueni, & nisi exauditus fuero, totum
cœlestem exercitum pro te mouebo, sicque disparuit.
Quod cū ille domino Hermanno Abbatī, quando-
que sanctorum Apostolorum Decano, & tūc in Clau-
stro Priori recitaset, respondit ille: Bone domine Ru-
dingere, vos estis vir prouectæ artatis, & infirmus, &
citò moriemini, nolite dicere nisi veritatem, bene no-
uerat vitam eius. Respondit infirmus: Si non fuero
mortuus hodie, hora nona diei, falsa sunt quæ dixi.
Quid plura? Hora prædicta monachus moritur, & de-
visione Prior certificatur. APOLLONIUS: Puto dæmo-
nes multum fremere, cū tales eis subtrahuntur.
CAESARIUS: Sicut sancti Angeli morientium animas
deducere nituntur in cœlum, sic angeli mali eas de-
trudere conantur in infernum.

C A P V T X V.

Mortuus est in eadem domo quidam Con-
uersus, nomine Gerungus: iste ante conuer-
sionem quorundam Episcoporum Treue-
rēnsium, successuè tamen, fuerat dispensator & durus
pauperum exactor, tandem quorundam admonitio-
ne persuasus, Hemmenrode venit, ubi in habitu secul-
lari tempore aliquanto de proprio vixit. Tactus graui
infirmitate, magis timore gehennæ quam amore pa-
triæ, habitum induens, in infirmitorium Conuerso-
rum deportatus est. Qui cū ad extrema deuenisset,
& in lecto suo solus jaceret, aspiciente quodam Con-
uerso, nomine Ludone, vultures aduolantes in perti-
ca lecti eius resederunt, cum quibus homines terti
magni atque deformes intrantes, eundem circumste-
gerunt. Iam dictus Ludo de yisione primū admirās,

Damones
mortienti
bus infi-
diantur.

T t s

& post

& post paululum, quod dæmones essent, qui morientū
animas quasi escam præstolentur recogitans, alta vo-
ce clamauit: Quid statis ibi vos domini? Egredimini.
Qui cùm minimè obedirent, secundò clamauit: Ego
vobis præcipio in nomine Domini ut exeat. Ad quod
verbum mox viri egredientes, & vultures auolantes,
nusquam comparuerunt. Iacebat autem idem Ludo
infirmitus in lecto opposito, vir senex & religiosus, cor-
pore virgo. Visio hæc, sicut & subsequentes, relatæ
mihi à domino Hermāno Abate, tunc ibidem Prio-
re. Quantum verò agonizantibus fratrum præsentū
oratio prospicit, eadem visione declarabitur.

CAPVT XVI

Circa idem tempus alius quidam Conuersus il-
lic moriebatur, homo quidem ponderosus &
tardus, & ideo cæteris despectus: qui cùm pos-
tus fuisset super mattam, finisque eius adesset, duq
corui aduolantes inopinatè girauerunt circa illum,
tandem in trabe, quæ capiti eius imminebat, residen-
tes; quos ut vidit frater Henricus, cuius sape in su-
perioribus mentio facta est, dæmones illos esse suspicis,
quidnam facturi essent expectauit. Interim pulsata est
tabula, & accurrit conuentus, cumque crux introfer-
retur, columba niuea illam præcedens, ostium infirma-
torij prior intravit, & super iam dictam trabē volitas,
inter eosdem coruos media resedit: cūq; cum illis de-
certaret, hinc inde alis eos verberans, tandem adepta
victoria, & de domo eliminatis, ipsa in loco coruorū
tamdiu erat residens, donec Conuersus expirasset, &
donec lotus, & feretro impositus, eodem loco restitu-
tus fuisset: quem cùm in oratorium fratres deportar-
rent, columba eadem auolans crucē præcedebat, sicq;
nusquam comparuit. APOLLONIVS: Quid videtur tibi
fuisse columba illa? CÆSARIVS: Angelica aliqua per-
sona, quæ fratru orationibus adjuta, pro anima mor-
rientis cum dæmonibus dimicauit atque triūphauit.
Quantus illic sit dæmonum concursus, vbi hi moriū-
tur, qui eis seruierunt, sermo sequens ostendit.

CAPVT